

consolari jūgiter dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sæculum, et in æternum.

Archid. Beatissimo GREGORIO, Papæ et Domino nostro, sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, cunctarum Gentium obedientia, et Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Chorus. Domine Deus, Sanctissimum Patrem gratiâ tuâ custodi; ut eo gubernante, Gentes sancto veræ fidei lumine perfusæ, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Archid. Patriarchis, et Archiepiscopis, et Episcopis omnibus salutaris vigilantia.

Chorus. Deus Pater luminum, illustra faciem tuam super servos tuos; accende corda eorum in ædificationem corporis tui.

Archid. Fidelibus Provinciæ nostræ, et populo Christiano universo, pax Christi æterna.

Chorus. Memento, Domine Deus, in beneplacito populi tui, et confirma in omni virtute gressus ejus, perpetuumque tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Archid. Reverendissimorum hujus Provinciæ Episcoporum ad Ecclesias suas reditus, cum spiritali fructu uberrimo.

Chorus. Deduc eos, Domine, in viam rectam, et dirige gressus eorum in viam pacis, et ad dandam scientiam salutis plebi tuæ.

Archid. Nos, Domine, operarii in messem tuam missi, in omni opere bono ministerium nostrum explentes, Decreta sancta exequentes, digni reddamur misericordiâ et gratiâ magni et supremi Sacerdotis JESU CHRISTI DEI, intercedente simul beatâ ejus Genitricis MARIA, et omnibus Sanctis.

Chorus. Amen, amen.

EPISTOLA

PATRUM CONCILII AD SUMMUM PONTIFICEM.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO.

GREGORIO PAPÆ XVI.

BEATISSIME PATER,

HAUD quidem fas esset Episcopis in Provinciâ Baltimorensi tertio Concilio congregatis, ex illo discedere, quin prius commune et solemne testimonium ejus, quâ reverâ erga Apostolicam Sedem, Sanctitatemque Vestram, venerationis, obedientiæ et devotionis, afficiuntur, exhibeant. Hujus ergo debiti, nobis profectò omnibus utpotè amantissimis filiis quàm maximè grati, solvendi gratiâ, hasce litteras mentis animique nostri, fortassè non adeò ut vehementer optamus, fideles interpretes, Romam ad Sanctitatis Vestræ pedes mittimus, unâ cum Decretis quæ, Ecclesiarum nostrarum necessitatibus occurrentes, condenda censuimus. Hæc Apostolicæ Sedis judicio, ut par est, subjicimus; ut, si Sanctitati Vestræ probentur, necessariâ sanctione firmata optatum effectum feliciter consequantur. Paucâ quidem decernenda judicavimus, sed præsentibus temporis rerumque adjunctis accommodata; ejusque naturæ, ut si unâ cum præcedentium Provinciæ nostræ Conciliorum statutis fideliter serventur, gloriam Dei, animarum salutem, incrementumque Religionis, divinæ gratiæ auxilio, in nostris diœcesibus omninò promoveant. Deum bonorum omnium datorem benedicamus oportet, quia fecit nobiscum misericor-

diam suam, atque ineffabili Providentiâ Ecclesias hasce nostras, sive nascentes, sive adhuc infantes, sive adolescentes, sive etiam jam adultas, scuto inexpugnabili potentiæ suæ protexit. Quo impetu, quâ versutiâ, quoque conatu portæ inferi adversus illas apud nos incessanter pugnaverint, Sanctitatem Vestram minimè latere arbitramur: monasteria flammis adusta, mortuorum sepulcra violata, sacrarum virginum instituta, Cleri populique catholici universi mores calumniis ad nauseam usque repetitis, et longè lateque innumeris impudentissimis libellis diffusis impetiti; sanctæ matris Ecclesiæ dogmata, doctrina, leges, ritus, disciplina, tum voce, tum scriptis, tum publicè, tum privatè, tum libris, tum periodicis foliis impugnata, et à privatis hominibus, et à Societatibus eo fine institutis ut pecuniâ operâque suâ Catholicæ religionis profectum, quocumque modo fieri possit, impediunt. Hæc omnia, BEATISSIME PATER, Ecclesiis nostris, in regionibus istis, certum ultimumque exterminium minitari videbantur; sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum: laqueus quem nobis paraverant comprehendit eos, et inciderunt in foveam quam fecerant; et nedùm Sanctæ Ecclesiæ non nocuerunt, sed ad illius propagationem et gloriam odio, invidiâ, calumniis magis profuerunt, quàm si conatibus suis operam ad illius defensionem contulissent. Inde factum est, ut veritatem à sapientissimo magnoque Ecclesiæ doctore Augustino jam proclamatam experti simus: "Novit Deus de bonis mala facere, quàm mala nullâ esse permittere." Dogmatum catholicorum veritatis, ecclesiasticæque disciplinæ sanctitatis assertores et

defensores invicti non defuerunt inter primi et secundi ordinis sacerdotes, qui ea tum voce, tum scriptis, propriâ luce, meridianâ clariore, exponerent, probarent, vindicarent. Proindeque præjudicia multa evanuerunt; calumniæ manifestò apparuerunt; veritas, erroribus fugatis, ut sol, nubibus dissipatis, post tempestatem splendidior apparuit, atque illis innouit, ad quos fortassè nunquam secus pervenisset. Virgines sacræ, monasteria, collegia, aliæque omnes tum ad juventutem in litteris et pietate instituendam, tum ad opera charitatis erga ægrotos, orphanos et pauperes exercenda, quæ in nostris diocesis extant domus, omnipotentis et protegentis Dei auxilio suffultæ, hostium invidiam et conatus irritos expertæ, nedùm aliquid publicæ æstimationis amiserint, à majore sanioreque civium parte quàm maximi fiunt, et venerationi habentur: illarum in dies numerus incrementum, sicut et puellarum atque puerorum, qui eorum curæ tum à Catholicis, tum à Protestantibus ipsis committuntur. Religiosorum quoque Ordinum, Ecclesiasticarumque Congregationum, Societatis Jesu, Prædicatorum, Sacerdotum Missionis, S. Sulpitii, et SS. Redemptoris Communitates, in hisce regionibus, velut granum sinapis, initio exiguas, feliciter crescere, stabilem regularemque formam accipere, mirabiliter florescere, et undequaque Christi bonum odorem effundere, atque strenuam vineæ Domini operam dare lætantes videmus. Numerus etiam ovium nostrarum multiplicatur in dies, tum naturali regionibus nostras incolentium incremento, quod vix credi posset ab illis qui id suis oculis non vident, tum magnâ Catholicorum frequentiam ex Europâ in Americam advenientium, tum etiam frequentibus Protestantium ad Catholicam fidem conversionibus.

Numerus etiam Ecclesiarum, parochiarum, seu, ut apud nos vocantur, Congregationum, augetur ubique, multoque magis augetur, sed heu! BEATISSIME PATER, numerus operariorum, quamvis etiam increverit, et in dies increseat, valde inferior est illi quo opus est, longè impar necessitatibus animarum nostræ curæ commissarum; et nemo est ex nobis, qui hac necessitate pressus, operariorum penuriæ effectus religioni infaustos deplorare non cogatur. Denique, et Sedium Episcopaliū in hac nostrâ Provinciâ, Sanctitatis Vestræ providâ et sapienti ordinatione, auctus est numerus, atque nova diœcesis erecta jam experitur quantum ad religionis incrementum gratia Episcopali ordini, Dei misericordiâ concessa, proficere possit. Re quidem verâ nil felicius, nil optatius in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis religioni contingere poterat, quam Sedium Episcopaliū, quotquot nunc in eâ reperiuntur, erectio. Vastissimæ, quæ ad Occidentalem plagam longè lateque patent regiones, et in quâ nunc quinque, Cincinnatensis scilicet, Bardensis, Detroitensis, Vincennopolitana, et Sanctiludovicensis diœceses florescunt catholicis institutis; terra deserta, et invia, et inaquosa, et vasta, solitudines in iis quæ ad religionem spectant remansissent, nisi Episcopales Sedes ibi erectæ fuissent. His adducti rationibus, Sanctitatem Vestram supplices precati sumus, ut novas Episcopales Sedes erigere dignetur in statu *Mississippi* et *Tennessee*. Remanent etiam, BEATISSIME PATER, ad Occidentalem plagam regiones immensæ. Catholici, qui tum ex Europâ in Americam transnavigant, vel ex antiquioribus ipsius Americæ provinciis, novas sedes quærentes, ad occidentales migrant, gressus dirigunt ad territoria, quæ inter su-

periolem Mississippium et Missurium flumen continentur. Tribus tantum abhinc annis, civitas *Dubuque* nuncupata condi cœpit, et jam frequentes incolas numerat. Hic etiam novam diœcesim creandam Sanctitati Vestræ humiliter insinuamus. Aliæ etiam formandæ fuissent, si numerus Sacerdotum, quos Sanctitati Vestræ ad Episcopale munus obeundum commendare possumus, major fuisset. Necessitas quidem urget, periculum procul dubio in morâ: nam experientiâ constat, in novis istis regionibus, Sedes Episcopales in ipsis novarum societatum incunabulis erectas, et facilius et securius Ecclesias ædificare, et religionem modis omnibus promovere posse, tum ob minora ex parte sectariorum obstacula superanda, tum ob exiguas expensas ad comparandos situs, terras, et prædia pro Ecclesiarum, Seminariorum et Collegiorum ædificatione et sustentatione. His omnibus maturè consideratis, futurum speramus ut apud Sanctitatem Vestram præcipationis censuram consilium nostrum non incurrat; futurum etiam speramus ut Sanctitas Vestra precibus nostris aurem benignam porrigat, atque nobis permittat, inter Sacerdotum nomina quos commendamus tanquam ad Episcopale munus idoneos, aliquos ex Regularibus, Congregationibusque inserere. Nullatenus enim honori Cleri nostri sæcularis derogare censemus, cum fatemur, ob exiguum horum numerum, ex Communitatibus, sive regularibus, sive ecclesiasticis, aliquos commendandos: nullo enim nostro privato commodo adducti hoc humiliter petimus; solo Dei gloriæ et animarum salutis intuitu id à nobis præstandum putamus. Agitur de munere Angelorum humeris formidando; agitur de testimonio à nobis juxta conscientiæ dictamen dando; agi-

tur tandem de Ecclesiæ honore, de ordinis nostri decore, quæ omnia Sanctitati Vestræ quàm maximè cordi esse minimè dubitamus. Si à regularium vel ecclesiasticarum Communitatum membrorum nominibus inter commendandos ad Episcopatum inscribendis nobis erit abstinendum, maximo Religionis detrimento, de Sedibus erigendis nil in posterum agendum erit, et etiam Sedes jam erectæ vacantes relinquendæ.

Ad Sanctitatis Vestræ pedes provoluti, inviolabilem Sedi Apostolicæ ex imo corde profitentur obedientiam, venerationem et obsequium,

SANCTITATIS VESTRÆ,

Obsequentissimi filii,

- † SAMUEL, *Archiepiscopus Baltimorensis.*
- † JOANNES, *Episcopus Carolopolitanus.*
- † JOSEPH, *Episcopus S. Ludovici.*
- † BENEDICTUS, *Episcopus Bostoniensis.*
- † FRANCISCUS PATRITIUS, *Episcopus Arathensis, et Coadjutor Philadelphiensis.*
- † JOANNES BAPTISTA, *Episcopus Cincinnatiensis.*
- † GUIDO IGNATIUS, *Bolinensis Episcopus, et Bardensis Episcopi Coadjutor.*
- † SIMON, *Episcopus Vincennopolitanus.*
- † GULIELMUS, *Episcopus Oriensis, et Coadjutor Carolopolis.*
- † ANTONIUS, *Episcopus Neo-Aurelianensis.*

Baltimore, die 22 Aprilis 1837.



INSTRUCTIO

CIRCA DECRETA A SYNODO PROVINCIALI III BALTIMORENSI EDITA.

CIRCA Decreta, quæ edita sunt à Synodo Provinciali Baltimorensi, mense Aprili anno 1837 celebratâ, S. Congregatio nonnulla immutanda esse censuit, et idcirco hæc R. P. D. Archiepiscopo Baltimorensi significanda judicavit.

Itaque quod spectat ad primum Decretum in quo agitur de Ordinibus sacris *titulo Missionis* conferendis, S. Congregatio arbitrata est faciendam esse mentionem *Apostolici Indulti*: secus enim existimari posset Ordinationem eo titulo tribui posse ab Episcopis ordinariâ auctoritate. Necesse est etiam in memorato Decreto significari, eos qui illo titulo Ordines sacros suscipiunt, jusjurandum facere debere se perpetuò Missioni, cui deputantur, esse inservituros.

In tertio Decreto statuitur Cæremionale editum, prout Synodus prima Baltimorensis Provincialis anno 1829 celebrata decreverat, in omnibus Fœderatæ Americæ Provinciis esse servandum: de eo autem Cæremionali, et de Rituali nunc in lucem edendo, S. Congregatio expectat ut R. P. D. Archiepiscopus Baltimorensis utrumque Romam mittat, ut quale sit possit cognoscere.

In Decreto quarto, in quo agitur de bonis Ecclesiasticis vel iniquè usurpatis, vel interversis, ad servandam Episcopis debitam reverentiam, opportunum non est verba adhibere, *Si aliquis Episcopus, etc. hujusmodi bona averterit*; sed honestius erit loquendi ratione uti, quâ Sacrum Concilium Tridentinum (*Sess. 22, Cap. 11 De Ref.*) de eâdem materiâ per-

tractans usum est, videlicet: *Si quem Clericorum vel Laicorum, etc.*

Denique quod pertinet ad Decretum sextum, in quo sermo est de causis Ecclesiasticis ad civilia tribunalia non deducendis, S. Congregatio immutandum esse Decretum illud judicavit, habendo præ oculis quæ hîc afferuntur, scilicet, si Clericus contendat apud iudices sæculares, et præsertim hæreticos, cum alio Clerico, de re juris *strictè* ecclesiastici, rectè Synodus statuit ita agentes in censuras à jure latas incurrere. In causis tamen mixtis, in quibus videlicet personæ sunt Ecclesiasticæ, sed res, de quibus controversia est, temporales aut familiares, paulò mitiùs à Synodo decerni debet, præsertim in regionibus in quibus civilis potestas apud Catholicos non est, et ubi modus deest, seu vis Ecclesiastica coactiva, ad rem suam defendendam, vel recuperandam, nisi civilia tribunalia adeantur.

Hæc sunt quæ S. Congregatio R. P. D. Archiepiscopo Baltimorensi animadvertenda proponit, ut, antequàm Decreta Synodi Provincialis publicâ luce donentur, in locis quæ significata sunt immutare non omittat; id quod, pro singulari suâ erga S. Congregationem ipsam observantiâ, illum libenter facturum esse certum habet.

Datum Romæ ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 2 Septembris 1837.

A. MAIUS, S. C. P. F. à Secretis.

Synodi Provincialis Patres præfatas S. Congregationis adnotationes reverenter admiserunt, suggestasque immutationes libentissimè, pro singulari suâ erga S. Congregationem ipsam observantiâ, inviolabilique erga S. Sedem obedientiâ et obsequio, in Decretis fecerunt.

DECRETA CONCILII.

I. **C**UM ex Apostolico indulto consueverint plerumque Clerici sæculares ordinari, in his Fœderatis Provinciis, titulo missionis, monemus Episcopos ut eos tantùm eo titulo ad sacros ordines evehant, qui idonei sacris missionibus videantur, vel aliàs Religionis profectui, Episcopi judicio, inservituri, emissio priùs jurejurando se perpetuò Missioni, cui deputantur, operam duros.

II. Ne sacerdotes, cum sacri ordinis dedecore, mendicare, vel egestatem pati cogantur, Episcopos hortamur, ut Fideles moneant muneris quo tenentur, eis præcipuè qui in verbo et doctrinâ laborant, congruam sustentationem suppeditare. Quòd si ægritudine, vel casu aliquo jam non valeant sacris fungi muneribus, ne afflictis addatur afflictio, curent ut ea subsidia quæ necessaria judicaverint, ipsis à Fidelibus quibus inservierint subministrentur. Si autem Congregatio, cui inservierit Sacerdos ægrotus vel aliàs impeditus, fuerit adeò inops ut nequeat hujusmodi subsidia suppeditare, Episcopos hortamur ut, eâ quâ fieri possit ratione, aliorum Sacerdotum et Fidelium charitatem ad iis succurrendum excitent. Cupimus autem maximè ut in singulis diœcesibus, Episcopi, quamprimùm commodè potuerint, Sacerdotum ipsorum adhibito consilio et operâ, certum quemdam modum et stabilem statuunt, quo infirmis, vel ætate provecis, vel aliàs impeditis, provideatur. Indignis autem Sacerdotibus, vel qui legitimæ suorum Episcoporum auctoritati repugnauerint, vel qui æs ad fundum hujusmodi generalem conferre recusaverint, hoc decretum prodesse nolumus.